



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXLIII. Continuatio ejusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](#)

placita sunt ei, facio semper. Hæc si similiter semper feceris, te rursum Filium Dei Adoptivum, & obsequentissimum demonstrabis; ac vicissim Patris Cœlestis continuam Assistentiam experieris, ut in omni actione, & functione tecum sit, & non relinquat te solum.

M E D I T A T I O CCCXLIII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Joan. 8.

PUNCTUM I. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si Veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Joan. 8. v. 46. Ut Judæi Christo, afferenti se Filium Dei, Fidem darent, Veracitatem suam illis probavit Vitæ suæ Innocentiâ, quâ omne peccatum, adeoque etiam Mendacium semper aversatus est: probata autem Veritate exprobrat illis obstinatum in præbenda fibi Fide animum. Q si & tu ita innocenter inter homines viveres, ut nemo te posset peccati arguere! si autem peccas, vis scire, quis te arguat? Arguet te Deus. Ideo inquit Ps. 49. v. 21. *Existimasti iniquè, quod ero tuī similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Arguet te etiam propria Conscientia. Arguet te Angelus Custos, & Dæmon accusans. Arguent te omnes, qui te observant. Nam, ut admonet Thomas Kempensis l. i. c. 25. n. 5. Sicut oculus tuus alios considerat, sic iterum ab alijs notaris. Itaque sic omnem Christianam & Religiosam Disciplinam observa, ut securus in Conscientia tua dicere audeas, præsertim in articulo Mortis: *Quis arguet me de peccato? Nihilominus*

286 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum,*
lominus tamen memor tuæ infirmitatis, DEVM depre-
care: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tu-*
corripias me. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.
Pſ. 6. v. 1.

PUNCT. II. *Qui ex D E O eſt, verba D E I audi-*
Propterea vos non auditis, quia ex D E O non eſtis. Joan. 3
v. 47. Ecce novam causam, quare Judæi ſine fructu
& Fidei affenſu audiverint, quando Christus ipſe ſe
FiliuM D E I teſtatus eſt: quia nimirum propter ſua pec-
cata amissâ Gratiâ defierunt eſſe conſortes Divinæ
Naturæ, & Filij Adoptivi Patris Cœleſtis. Signum
itaque mali ſtatū eſt, ſi Verbum Divinum, & Cœleſtis
Doctrinas ſine g��u, & ſine fructu audias, legas
& mediteris: hoc enim idem eſt, ac non audire; ſicut
Judæi non audiérunt, quamvis ſonum Christi loquen-
tis percepérint. At bonum signum eſt, ſi g��um &
fructum ex prædictis modis audiendi D E V M loquen-
tem capias, & ſi per Inspirationes, ac Illustrationes
mentis D E V S tibi frequenter ad cor loquatur, & tu
illi auscultes.

PUNCT. III. *Responderunt ergo Judæi, Quid dixerunt:*
Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, Quid demo-
nium habes? Respondit J E S V S: Ego dæmonium non habeo;
ſed honorifico Patrem meum, & vos in honorastis me. Ego
autem non quero Gloriam meam. Eſt, qui querat, & iudi-
cet. Joan. 8. v. 48. Considera, quare Christus tamle-
niter & mansuetè duplice ignominiosam contume-
liam tulerit, quando Judæi illum appellârunt Samari-
tanum, ſive Schismaticum; & familiarem Diaboli,
cui ejectionem Dæmonum inferiorum, & alia Chri-
ſti Miracula adſcribebant. Nempe quia ipſe non
quaſſivit, nec curavit Gloriam ſuam, ſed hujus cu-
ram

ram Patri suo committebat , & eidem sciebat cordi esse. Hac propriæ gloriæ curâ abjectâ , & in DEVM translatâ , facile feres omnem contemptum ; & ingens acquires augmentum meritorum tuorum , si cum veritate in omnibus actionibus tuis dicere possis : Non quero gloriam meam : sed honorifico Patrem meum , omnia in ipsius Honorem peragendo.

MEDITATIO CCCXLIV.

*Christus in Sabbato Cæcum Natum
videndi facultate donat. Joan. 9. v. 1.*

PUNCTUM I. *Et præteriens vidit hominem cæcum à Nativitate : Et interrogaverunt eum Discipuli ejus : Rabbi , quis peccavit , hic , aut parentes ejus , ut cæcus nasceretur ? Respondit JESVS : Neque hic peccavit , neque parentes ejus : Sed ut manifestentur Opera DEI . Postquam Christus à suo Jerosolymam adventu sæpius docuit in Templo , & Judæis peccata sua exprobravit , præsertim quod non crederent in Filium DEI , quem se esse frequenter per totum Caput septimum & octavum Joannis contestatus est , tantâ in illum irâ exarserunt Judæi , ut lapidibus eum obruiissent , nisi abscondisset se (id est , invisibilem se reddidisset) & exivisset de Templo , ut recensuit S. Joannes in fine Capitis octavi . Mox itaque in ipso egressu è Templo , præteriens (id est , transiens per eam viam) vidit hominem cæcum à nativitate : Discipuli verò , quia dubitabant , an non propter peccata ab illo commissa , & à Deo ante ejus nativitatem prævisa , cæcitatem punitus esset ; interrogaverunt Christum , quisnam peccasset ? an cæcus ipse , vel an parentes*